



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 168. Dicunt omnes: crucifigatur. v. 22.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

de ubi sedeas pro tribunali, ut iudex. Cur enim te praesidem statuerunt in Iudaea Romani? nisi ut cuique iustitiam administres. Cur igitur interrogas Iudaeos quid facere debeas? cum sit tui officii fontes punire, infontes dimittere, fac tuum officium, & dimitte, quem scis infontem, & per invidiam principum Iudaeorum tibi traditum, de quo ipse faretis, *te non invenire in eo causam mortis*. O si agnosceres Pilate, quis iste esset, quem dimittere conaris, certe non dimittere cuperes, sed domituae teneres tecum; quam felix tunc esses, quam felix domus tua & familia! Beatior esses ipsis Regibus Romanorum; ubi enim ille moratur, ibi omnis salus domus & familiae adest. Sed si omnino eum a te dimittere velis, da mihi, & ego accipiam illum cum gaudio in domum meam, ulnis meis amplectar, nec dimittam eum unquam, sed benedicet mihi ut arca manens in domo, Obeddom, & una progrediemur in vitam aeternam.

**V**eni ergo mi Iesu, veni de manu Pilati ad domum meam, licet plus quam publicani domus sit obnoxia: ut fiat ei salus hanc, & hodie & in sempiternum.

§. 168. *Dicunt omnes: crucifigatur. v. 22.*

Mirabile & deplorandum, quod nemo non clamaret ad petitionem Pilati, dicendo: *Crucifigatur*: quo clamore insigniter prodiderunt Iudaei suam malitiam, quae tanta erat, ut potius cuperent omnem iustitiam pessumdare & omnem in malitiam procedere, quam a sua malitia cessare, quid igitur mirum, quod omnes adhuc hodie malitiae suae poenam luant, ut sint quasi profugi, sine Rege, sine Lege, pulsi patria, ubique dispersi, sine proprietate aliqua terrae vel mundi, odio Deo & hominibus invisii.

**D**omine Iesu, an non etiam ego clamo, *crucifigatur*, quoties non evito occasiones peccandi? quinimo, ipso facto iudex sum, qui te condemno ad mortem crucis, sed & ipse carnifex sum; qui te crucifigo quoties pecco saltem graviter, quam igitur & ego mereor poenam? non tantum temporalem, sed & aeternam, ut dignus sim proici a te, & esse sine patre Deo & matre Ecclesia, quasi excommunicatus a Sacramentorum & precum fidelium participatione, odiosus Deo & hominibus, aeternaliter propelli a tuo paradiso & regno. Detestor ergo omnem culpam, cupio emendare quod factum est: A.A. Domine nescio plura loqui.

§. 169. *Ait illis praeses: quid enim mali fecit? v. 23.*

**C**um turbae quasi feræ, quae spatiosam ambulat viam, clamarent *crucifigatur*, non statim acquievit Pilatus, sed iuxta suggestionem uxoris,

O 2

quæ